QVÆSTIO MEDICA,

CARDINALITIIS DISPVTATIONIBVS MANE DISCVTIENDA IN SCHOLIS MEDICORVM DIE IOVIS XXVI. MARTII,

M. IOANNE DEGORRIS, Doctore & Medico Regio, moderatore.

Eſt-ne Natura primarum qualitatum temperies? 842

QVO' ſublimior eſt cuiúſque rei ſplendor & dignitas, eò plus ad illius cognitionem, noſter caligat, & hebeſcit intellectus; Animæ rationalis eſſentiam & functiones admirandas, non capit humani vis ingenij, nimirum quia illa Diuinitatis eximiè particeps, illius cancellis ac finibus teneri renuit & contineri: Naturam auræ diuinæ particulam, non effingere ars humana, non veris aut viuis ſatis exornare poteſt coloribus; hinc illa Philoſophorum ac Medicorum varia pigmenta, quibus illam aſſeuerant eſſe Mentem quæ omnia penetrat, in fabricandis animalium partibus ſimilem vrbis conditori; eſſe calidum innatum, Temperaturam ex calidi, frigidi, humidi, ſiccíque confuſione & miſcellâ, Elementorum ſymmetriam, facultatem animantium rectricem, ortus denique omníſque actionis occultum intimúmque principium; vera illa quidem; ſed quæ Naturæ ἐντελέχειαν aſſequi, vel & æquare haudquaquam videantur, verùm quamquam illam nobis non datur penitiùs oculis intueri, aut illam noſſe ſatis corporis formam, quæ in auibus, lactis loco, mirum in pullos ſuos amorem fertur indidiſſe, nos illa tamen magnâ ſuorum operum tenere ſolet admiratione, dum corporis humani rempublicam, formando, alendo, & conſeruando intimè peruagatur.

FVNCTIONVM quæ Naturâ Duce ac Magiſtrâ adminiſtrantur, cùm in ſtirpibus tùm animantibus, ſumma atque ſuprema Nutritio exiſtit, quàm inſiti caloris appulſu alimentum aſſiduè exagitans molitur, eſtque hoc illis communi lege ab eâ tributum, vt inſiti vi caloris vitam agant, ſintque tantò perfectiora vitæ opera, quantò caloris vis atque ſubſtantia affulſerit vberior: eſt verò in temperamenti animantium ſtirpiúmque miſtione, diminutus quidam ac mutilus, ſeu elementaris calor; Alius diuinior, præſtantioris cuiuſdam originis, neque ignei elementi rudiorem naturam redolens; vtróque illo ſerpentes viuunt, quas tamen eſſe temperamento frigidas commemorant; viuit Papauer, Mandragora & vniuerſum ſtirpium frigidarum genus; nec-non vtróque illo ſulphur & Arſenicum, quæ calidiſſima quidem cum ſint & igneo elemento confertiſſima, vt plerúmque nos vrant, illo tamen calore diuiniore deſtituta iacent, ſicut & vniuerſum inanimorum genus; incredibili prope Naturæ optimæ parentis ſapientiâ, quæ calore elementari ac cœleſti, animantium functiones & ſtirpium vitam regit & moderatur: ſic ſol & homo generant hominem, ità Heliotropij & Scorpiuri flores ab ortu ad occaſum, Solem intuentur, cum eòque vertuntur omnibus horis, etiam nubilo die, exortu ſe pandunt, occaſu ſe contrahunt; Illinc Natura cum inferioribus, hinc cum ſuperioribus amicè conſpirat, illo diuiniore aſcendens ad ſupera, elementari deſcendens ad infera, atque cum media omnium ſit, vires poſſidet omnium docta & erudita, quamquam ἀπαίδευτος.

ILLA autem primas elementorum qualitates ad conuenientem contrariorum ὁμοίωσιν, aptat & accommodat: Illis velut inſtrumentis effectiones ſuas expromit, caliditate craſſa attenuat, fundit & liquat à frigido concreta, denſa rarefacit, humores foras euocat, eoſdem & alimenta coquit, homogenea cogit, heterogenea ſeparat; frigiditate verò craſſiorem reddit ſubſtantiam, gelat & glaciat, glaciando impinguat, denſat poros cutis, humores repellit, & intrò protrudit, eorumdem & alimentorum coctioni aduerſatur, plantas & animalia enecat; humiditate autem & ſiccitate parit Natura actiones planè contrarias; Tali verò tantâque primarum qualitatum dignitate & præſtantiâ, vt rectus earum concentus, elementorum & Naturæ ὁλομελίην ſolus æquare & complêre videatur: ſed falleris qui ſic autumas, Natura ſui iuris & nullis vincta compedibus, audet ſupra primarum qualitatum vires, functiones edere nobiliſſimas, non inſtructa legibus, non exemplis, ſed antecedente nullâ cognitione αὐτοδίδακτος. Hinc mirabiles Animantium & ſtirpium conſenſus ac diſſenſus, & medicamentorum totâ ſuâ ſubſtantiâ atque cum delectu purgantium origo; hinc Magnes ferrum trahit, Succinum paleas, piſcatorum manus contactu Torpedinis obſtupeſcunt, Sepia atramento effuſo, dum piſcatorum oculis caliginem offundit, illorũ vitat inſidias: hinc & vterus nouem exactis menſibus fœtum excutit, recens natus arreptâ papillâ, placido maxillarum linguæque motu lac ſugit, cantu & harmoniâ delectatur; Struthionis denique calor ferrum, Columbæ venter lapillos exterit, quod leonis calor tùm acrior, tùm vehementior non poteſt, ſed ſolus ille, non quidem ſimplicium qualitatum vim atque δύναμιν redolens, ſed diuinior & proportione reſpondens calor elemento ſtellarum.

SED Naturam contemplâre penitiùs: illa eiuſdem caloris operâ oſſa carnémque generat; hæc temperamento ſuo calida humidáque eſt; Oſſa, verò frigida ſicca; Quî verò fiet frigidum & ſiccum à calido, ſi nihil agit Natura ſupra vires primarum qualitatum? Non agit illa quia ſic ferant qualitatum vires, immò qualitates agunt quia ſic ab eâ reguntur; Humani corporis ſtructuram mirabilem in vtero molîta eſt Natura, an verò ſolis vſa primis qualitatibus? Sic & remedia morborum plurima petuntur, non à qualitatibus manifeſtis, ſed à totius rerum ſubſtantiæ proprietate; Eſt verò nefas & iniquum à qualitatibus, quæ tantùm inſtrumenta ſunt, Naturæ Agentis primarij vires metiri: quàm illa verò de animantium ſalute ſollicita eſt; in morbis, ἀπαίδευτος nouit ἐφόδους & ἐκτροπὰς humoris eliminandi, hinc abceſſus molîtur per oſſa, hydropicorum aquas, in aluum & vrinæ ductus refundit; puris expurgationem in purulentis facit, omnia vbíque & propter finem operatur, non deficit in neceſſarijs, nec abundat in ſuperfluis, numquam in animantibus otioſa ceſſat, nihil fruſtrà vel imperfectum facit, ſemper rei melioris author, in illâ nihil inconſtans eſt vel inordinatum, ſed eſt rerum in morbis agendarum medico exemplar fidiſſimum, verùm vtinam illa nobiſcum colloquatur, & ſe res quales ſint explicent, vt procul amandentur artificioſi ſermones.

NEQVE verò hæc inanis vel otioſa cogitatio & commentatio exiſtimanda eſt: Morbos quos qualitatum parit exceſſus earumdem ἐναντιώσει tutò curaueris: in illis ſi θεῖόν τι, ceu contagioſis, peſtilentibus atque venenatis, erue intima totius Naturæ viſcera, illíque afflictæ oppone remediorum τὸ θεῖον; eſt verò id non aliud quàm totius illorum, ſubſtantiæ proprietas atque ſimilitudo, ἐντελέχεια perfectio & integritas, quâ eorum vnumquodque conſiſtit; ex illâ ſubſtantiæ totius virtute, alimenta nos alunt, expurgant medicamenta, deleteria & venenata omnia nos enecant, ſolantur alexiteria: Rurſúmque medicamentorum alia in renes, alia in veſicam, alia in lienem atque pulmonem, vel caput concedunt, iiſque aut ſalutaria aut peſtifera eſſe dicuntur; ex illâ denique in tantâ rerum multitudine nihil quidquam nos alere poteſt, quod non etiam alatur, ſitque vitâ præditum; Quin etiam quæcúmque præſtantiorem vitam degunt, vtiliora & ſalubriora nobis alimenta ſunt: conſiſtit verò illud remediorum τὸ θεῖον, ſeu in animantes, ſeu in ſtirpes inſederit, non in Chymicorum aquis diſtillando elicitis, non in oleo duplici tenui & albicante, altero ſicciore & rubente, non in fæce terrenáue ſubſtantia ſubſidente, ſed in exquiſito medicamentorum delectu, rectâ præparatione, eorúmque miſtione idoneâ, quæ ſingula ex affectus perſpicientiâ perpolire nouit ad vſum conuenientem accurati lima iudicij: Ex illis autem qui ſelectas callet Antidotos, morbis magnis exterminandis ſalutares, non ratione ſolâ, ſed vſus obſeruatione & operibus noſcendas, ſolus is mihi magnus Apollo eſt, ſolus ἀνὴρ ἰατρὸς πολλῶν ἀντάξιος ἄλλων.

Ergo non eſt Natura primarum qualitatum temperies.

Proponebat Lutetiæ FLORIMONDVS LANGLOIS, Pariſinus. A.R.S.H.M. DC. XXXVII

289